

nec aliud adversus validissimas gentis pro nobis utilius 2  
quam quod in commune non consulunt. rarus duabus  
tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum  
conventus: ita singuli pugnant, universi vincuntur. caelum 3  
5 crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum  
abest. dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox  
clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque  
initium lucis exiguo discrimine internoscas. quod si nubes 4  
non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere  
10 et exurgere, sed transire adfirmant. scilicet extrema et  
plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque  
caelum et sidera nox cadit. solum praeter oleam vitemque 5  
et cetera calidioribus terris oriri sueta patiens frugum pecu-  
dumque secundum: tarde mitescunt, cito proveniunt; eadem-  
15 que utriusque rei causa, multus umor terrarum caelique.  
fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium 6  
victoriae. gignit et Oceanus margarita, sed subfuscata ac  
liventia. quidam artem abesse legentibus arbitrantur; nam  
in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, 7  
20 prout expulsa sint, colligi: ego facilius crediderim naturam  
margaritis deesse quam nobis avaritiam.

Ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii 13  
munia impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tole-  
rant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. igitur 2  
25 primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu  
Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit  
incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris,  
non tradidisse. mox bella civilia et in rem publicam versa 3  
principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace: